

Yc
6950

XI, 3



X1,3.

41 29.

m-



ORATIO IUBILÆA

De

SINGULARUM

PROFESSIONUM MEDICARUM in Academia Lipsiensi

initii ac incrementis; ut & gemina DECANORUM, qui ultra ducentos annos in eadem floruerunt, ENNEADE,

PRO

Jubilee Augustane Confessionis festivitate,

Cum Præstantissimo Viro Dn. *M. Johanni Michaëlis, Susatensi Westphalo, Artis Medicæ Baccalau- reo, Licentie, ut vocant, assumendi in arte Medica insignia & Privilegia Doctoralia, gradus & dignitas solenniter con- ferretur, in incluta Hermundurorum Academia.*

Die XXX. Junii, Anno 1630.

Habita à

JOHANNHE HEINTZIO Phil. & Medicinæ D.
p. t. Procancellario.

L I P S I Æ,

Excudebat GREGORIUS Ribsck/
Impensis Christophori Ellinger Bibl.

Anno M. DC. XXXI.

*Reverendissimi Consistorii Ecclesiastici
Electoralis Supremi*

PRÆSIDI,
VIRO

Magnifico, Strenuo & Nobilissimo

Dn. FRIDERICO Metschen / Toparchæ in Griesen
& Reichenbach / Serenissimo Saxonæ Electori à
Consiliis.

Nec non

Cæteris Ejusdem Protosynedrii Assessoribus,

VIRIS

*Admodum Reverendis, Nobilissimo, Magnificis, Con-
sultissimis, Celeberrimis;*

Dn. MATTHIÆ HOE ab Hoenegg, SS. Theol. D.
*Comiti Palatino Casareo Splendidissimo, Serenissi-
mo Electori Saxonæ à Consiliis Ecclesiasticis &
concionibus primariis.*

Dn. ÆGIDIO STRAUCHIO SS. Theol. D. Eccle-
siæ Dresdensis Pastori, & vicinæ Diæceseos Su-
perintendententi vigilantissimo.

Dn. LEONHARDO CÖPPELIO, Jcto Clarissi-
mo, Elect. Saxonæ in Judicio Appellationum
Consiliario spectatissimo.


Dn. NICOLAO HELFRICH, J. U. D. Excellen-
tissimo, itidem Serenissimi Electoris Saxonæ
Consiliario.

*Dominis Patronis & Promotoribus suis omni
observantia cultu æviternum prosequendis.*

Orationem hanc jubilarem
submitte offert & dedicat

Johannes Heink D.





Quod Archiater Opt. Max. DEUS *ἰσοάγιστος*, felix, fau-
stum ac fortunatum esse velit,

EX DECRETO

COLLEGII MEDICI ACADEMIÆ

LIPSIENSIS

PROCANCELLARIO atq; PROMOTORE

Viro Amplissimo

D. JOANNE HEINTZIO, Valle-Joachimico,
Facultatis Medicæ Assessore, ac Professore ex-
traordinario:

PRÆSIDE

D. JOANNE GUNTHERO, ejusdem Facultatis
Decano ac Professore Therapeutico;

M. JOANNI MICHAELIS, Susatensi Westphalo,
Medicinæ Baccalaureo, superioribus diebus probato Exa-
mine legitimo, accurato & severo,

L I C E N T I Æ,

Quam vocant, assumendi in arte Medicâ Insignia &
Privilegia Doctoralia, Gradus & Dignitas solenni-
ter conferetur,

*In Colleg. PP. Major. Auditorio consueto, ad proximum diem Mer-
curii, qui est pridie Kal. Julii post VII. matutinam:*

Ubi prius in eodem Actu, more, rituq; Majorum Qua-
stio subscripta unâ cum Problemate annexo, ab ipso determi-
nata, & ad objectiones contra illa propositas pro
virili responsum fuerit.

QUÆSTIO.

*An hyberno plus, quàm alio tempore, ut vult Hippocr. Aphor. 6.
sect. 1. cibo indigeamus?*

PROBLEMA.

*Utrum tuta, minusq; periculosa sit ea curatio, que fit, cum secundum
Aphor. 15. Hipp. s. 1. extrema remedia extremis morbis adhibentur?*

A 3

LE-

LECTORIS.



Um æternus ac omnipotens DEUS immensam ac pulcherrimam hujus mundi machinam, juxta inexhaustam suam sapientiam, creâset, certâque & stabili naturæ lege ordinâset & disposuisset omnia, quæ sunt in cœlo & in terra; homini tandem, ad imaginem suam sanctissimam condito, (quem ex animo & corpore constare voluit) jamque ob primævam labem, morti, & æternæ damnationi, nec non multiplici corporis infirmitati, morbisque innumeris reddito obnoxio, tam animi, quàm corporis salutem, suâ cuique convenienti ac necessariâ Medicinâ, SPIRITUALI nempe, & CORPORALI, quæ inenarrabilis est ipsius bonitas, consultum voluit.

Primum enim animum circumvallavit divinis oraculis, promissionibus lætissimis confirmavit, Theologiæ sanctissimis studiis munivit, & CHRISTI Salvatoris agnitione ab Inferno, omnique Diabolorum insultu ac insidiis liberavit. Ad ipsius verò corporis sustentationem, & curationem, quid non benignus & misericors DEUS è terra creavit? Annon herbarum, stirpium, fructuum, animantium tam terrestrium, quàm aquatilium, juxtâ & fossilium, ingentem produxit copiam? Ea omnia ars Medica diligenti & diuturnâ inquisitione cognita, necessitate ita exigente, in salutem hominis, ceu rerum opumque divitis Naturæ promus condus, depromit, iisdemque humani corporis sanitatem tuetur, aut restituit. Ut igitur mens sana esset
in.

in corpore sano, & eximiâ quâdam conjunctione utriq; Medicina sua responderet, Theologia & Medicina conjuncta olim fuerunt studia, sanctiq; Patres, summi Pontifices, & Ecclesiastici Primores utriq; operam, nobili quâdam vicissitudine, navârunt. Quid multa? Priscam isthanc inter tam sanctos & illustres viros utriusq; studii conjunctionem in sanctissimi Salvatoris nostri persona exactè quoq; exprimunt atq; representât sacrosancta Evangelia. Mirum porrò, quàm pulchra, maximeq; concinna cognatio sit, & affinitas Theologiæ cum Medicina; si præsertim ordinem ac progressum præcipuarum, tam hujus, quàm illius, partium, attentè consideres, interq; se conferas. Tandem nec id publicè reticendum judicamus, quòd, etsi superioribus aliquot seculis unà cum doctrinæ Evangelii tenebris, magna quoq; in Medicina nostra fuerit ubiq; barbaries, obscuritas, & ignorantia, (magna cum præstantissimorum ingeniorum jactura, & majore etiam corporum multorum dispendio) superiori tamen proximo seculo, DEUS Opt. Max. cum lucem Evangelii, singulari clementiâ, rursus accendere vellet in Ecclesia, simul etiam linguas & artes, ac imprimis Medicinam, excitatis in omnibus ferè nationibus maximis & penè Herculeis Virorum Clarissimorum animis, ex cœno barbariei inexplicabiliq; confusione, repurgare, eidemque ex Græcorum fontibus pristinam suam integritatem ac puritatem, adeoq; tantam reddere lucem dignatus est, ut jam quasi renata, atq; per omnes sui partes absoluta cum Antiquitate ipsa de elegantia & ge-



PROGRAMMA

& genuino nitore suo, justissimo merito certare queat.

Pro his tam immensis beneficiis Deo benignissimo, illorum Authori ac Conservatori, immortales à cunctis sunt agenda gratiæ; hoc præsertim tempore festivitatis hujus Jubilæi Evangelici celebrationi in harum terrarum Ecclesiis & Scholis dicata.

Cùm igitur Collegium nostrum decreverit ad diem Mercurii proximum, qui est pridie Kalend. Julii, suprâ nominato Medicinæ Candidato, publicum eruditionis Testimonium in arte Medica tribuere, id quod in aliqua frequentia fieri convenit: obnixè rogamus Magnificum hujus Academiae Rectorem, reliquarum Facultatum Decanos & Professores, nec non cives Academicos universos & singulos, ut isti Renunciationis Actui haud gravatim interesse, suaque cum nostris vota pro Ecclesiæ & Academiae hujus salute, in publico isto loco conjungere, Deumque supplicibus & ardentibus precibus invocare velint, quò tot tantaque bona, quæ nobis hoc proximo seculo, & amplius indulset, deinceps quoque, Verbi imprimis cœlestis puritatem, cujus summa in Illustri Augustana Confessione, anno abhinc centesimo jam elapso, breviter comprehensa, & solenniter promulgata est, in hisce regionibus clementer conservare, & ad seram usque posteritatem, si qua futura est, prorogare ac transmittere, cunctaque mala à nobis avertere dignentur.

Cæterùm Medicinæ Studiosos STATUTA nostra
com-

PROGRAMMA.

commonent, ut ante horam octavam apud Decanum
convenient, Amplissimum Dn. Procancellarium cum
ipso accessuri, posteaque eundem unà cum Candida-
to, decenti comitatu, ad locum Promotionis prose-
cuturi: Id quod non tam gratum eacultati, quam
ipsismet honorificum ac commendabile futurum est.
P P. die Junii XXVII. Anno τῆς ἐπισκοπίας M. DC. XXX.
qui est JUBILÆUS EVANGELICUS Secularis
publicæ, ac illustris Exhibitionis Confessio-
nis Augustanæ.



ORA-



ORATIO JUBILÆA.

INCLUTÆ hujus ACAD-
MIÆ RECTOR MAGNIFICE, CON-
SULES hujus URBIS Amplissimi, Viri ad-
modum Reverendi, Consultissimi, Excellen-
tissimi, Clarissimi, Spectabiles, Prudentissi-
mi, Domini Fautores, Collegæ, & Amici
plurimum honorandi,

PATRES CONSCRIPTI

Tuq; Nobilissima, Eruditissimaq; Studiose juven-

tutis Coronas;

Auditores omnium ordinum ac dignitatum il-
honoratissimi;



Entesimus nunc agitur an-
nus, ubi Serenissimus ac Pien-
tissimus Elector Saxonæ JO-
HANNES, beatissimæ recor-
dationis, unâ cum aliis quinq;
Principibus Illustrissimis, & duarum civita-
tum imperialium Magistratu, Augustam Vin-
delicorum, primus omnium ingressus est, ibi-
demq; in augustis Imperii comitiis *Invictissi-*
mo Imperatore Carolo V. auscultante, Ferdinando
Roma-

Romanorum Rege *assidente*, Principibus & aliquot Imperii ordinibus præsentibus, *Confessionem Lutheranam*, in verbo Dei solidè fundatam, atq; in XXVIII contractam articulos, per interpretem Germanicum *D. Christianum Beyerum*, Electoris Saxoniae Cancellarium, clarâ distinctaq; voce edidit ac promulgavit. Quamvis verò nomine Summi Magistratûs XX. Doctores Pontificii in hunc finem convocati simul aderant, ut Protestantium confessionem, quamprimùm prælecta esset, abjectâ omni cunctatione, refutarent & annihilarent; attamen hominum illorum oculi ac animi sacræ veritatis fulgore ita perstringebantur, ut *ultrò faterentur, eandem ex Patrum quidem Scriptis & Conciliis, non verò ex scripturae sacræ monumentis, ullius erroris convinci posse.* Viderunt quippe illi, veritatem planè esse invictam & immotam, contra quam ne portæ inferorum, hoc est (ut in rem suam interpretatur *Baronius*) Reges & Principes Politici (addo & Clerici) quicquam prævalere possent. Unde à prælectionis momento, sacrosancta veræ fidei confessio illa, quæ tum temporis, *rugiente quamvis Diabolo, frendente mundo, ac*

B furem-

furente universo *Papa Satellitio*, mox in diversas linguas translata, & in omnes fermè habitati orbis angulos, fuit promota; per annorum centuriam, contra varias Satanæ insidias, & sanguinarios Antichristi Romani conatus ad innumerabilium animarum salutem perpetuam fuit conservata. Divini hujus beneficii haud immemor *Serenissimus ac Potentissimus Elector Saxoniae*, Princeps ac Mæcenas noster Clementissimus, pro suo, quem erga doctrinam verè Lutheranam habet, zelo, sui esse officii ratus est, in toto suo Electoratu seculari exhibita Augustanae Confessionis memoriam, solenniter indicere, & cum univèrsa suorum subditorum catervâ, tam in Ecclesiis, quàm Academiis, pro tam divini thesauri conservatione miraculosâ, Deo præpotenti gratias agere devotas.

In debita itaq; *subjectionis argumentum*, in primis verò in Dei honorem, Antistites Ecclesiæ per tridui intervallum, cum socio auditorum suorum affectu, non sine interventu harmoniæ tam vocalis, quàm instrumentalis suavissimæ, gratias pro hoc dono devotas litârunt augustissimo, & ut *Ecclesiarum*
nostra-

nostrarum *augustissimum* hoc *Symbolum* ac
κειμήλιον in seræ, si qua futura est, posteritatis
 salutem æternam, ad mundi usq; finem inte-
 grè conservaret, piis precibus Jehovam ex in-
 timo cordis affectu, sollicitârunt.

Finitis feriis triduanis, Proceres Academi-
 ci, *vigore Autoritatis illustrissima* sui quoq; mu-
 neris esse arbitrati sunt, si vel ipsi variis *decla-*
mationum, disputationum, promotionum actibus E-
 vangeliçi hujus festi solennitatem condecora-
 rent. Cujus rei initium, *bono cum Deo*, factum
 est die Lunæ; ubi templum Academicum non
 sine stupore audivit *Divinum Oratorem, & Pœ-*
tam egregium, qui *DEI OP. MAX.* in adornan-
 do benignè Augustanæ Confessionis opere
 clementiam; in propagando mirabiliter sa-
 pientiam; ac in conservando fortiter poten-
 tiam summam deprædicarunt. *Collegium Prin-*
cipum Majus autoritatem Augustanæ Con-
 fessionis, contra Romanensium sophisticatio-
 nes, in publico disputationis actu, masculè
 assertam vidit; & prodedièm etiam videbit,
quomodo laudatissima Facultas Philosophica xxx.
 honestæ frontis ac mentis *Adolescentibus*, pro
 suo ipsorum merito, primitias honorum phi-

Iosophicorum sit collatura. Paucis abhinc die-
 bus Templum iterum Academicum videbit,
 quomodo geminis Theologiae Licentiatis, de
 Ecclesia Jesu Christi meritis, *Doctoralis mi-*
tra, non sine omnium applausu, *imponetur*.
 Nec suo deerit officio *Amplissimum* *3* *Ctorum* *Sy-*
nedrium, utpote quod pro miraculo Augusta-
 nae Confessionis clementer conservato, sua
 Deo litabit vota devota. Cum itaq; *singula*
hinc Facultates in festivitate hac seculari *συγκρα-*
μοσύνης suae testimonium ostenderint; *Collegium*
 quoq; *Medicum* non postremas sibi partes ven-
 dicare hac in re existimavit; sed suum quoq;
ἐπιβάλλον μὲν ἐν χάρισίαις addere, adeoq; datam jam
 occasione, in panegyri hac solenni, praesenti
Medicine Candidato doctissimo, *Licentia*, ut vo-
 cant, *gradum*, quem non ita pridem apud
 Collegium nostrum modestè ambiit, exacto
 superioribus diebus examine legitimo ac ri-
 goroso, solenniter, per me peculiari totius Col-
 legii voluntate & beneplacito designatum
 Brabeutam, conferre. Cogitanti autem mihi
 quodnam in actu hoc panegyrico dicendi ar-
 gumentum seligerem, varia mihi in mentem
 venerunt; sed re ultrò citroq; deliberatâ, in
 cam.

eam tandem deveni sententiam, me operæ præ-
 tium facturum, si intra terminos Professionis
 meæ, quæ Medica est, me continerem, & quem-
 admodum superioribus diebus Viri erudi-
 tione, sapientiâ & eloquentiâ præstantissimi,
 initia ac incrementa veritatis Evangelicæ, me-
 diante Augustanæ Confessionis miraculo fa-
 cta, celebrârunt, de prædicârunt; Ita & ego de
 studii Medici initiis ac incrementis in hac Aca-
 demiâ, quæ Dei summi Archiatri beneficio,
 non ad unam saltem, sed geminam annorum
 sese extendunt centuriam, in medium aliquid
 afferrem, quantum quidem annalium nostro-
 rum monumenta ad rem præsentem suppedita-
 verint. Quod dicendi argumentum, ut à loco
 & proposito mihi non planè alienum esse vi-
 detur; ita non planè injucundum auditori-
 bus honoratissimis fore reor. Vult siqui-
 dem Deus ipse, ut grato animo ejusmodi be-
 neficia illustria, nos non saltem agnoscamus,
 prædicemus, sed & ad omnem posteritatem ex-
 tollamus. Ut verò hoc argumentum suis
 certis quasi limitibus, majoris perspicuitatis
 gratiâ, circumscriptum sit, ostendatur *primò,*
singularum Professionum in Facultate Medicâ fun-
datio,

datio, à quibus nempe Saxoniae Ducibus, & quo potissimum tempore illae ipsae fundatae, auctae, propagatae, & in praesentem usque temporis articulum, conservatae fuerint. Deinde monstratur, qui potissimum Medici à primo fundationis limine his professionibus, per geminam annorum centuriam, superiorum autoritate praesuerunt, & in hac Academia viva voce, cum praecleara suorum nominum celebratione, maxima discipulorum utilitate, & denique ipsius Facultatis Medicæ, inque totius Academiae honore eximio docuerunt. Dum igitur paucis hoc ago, atque volente & adjuvante Deo, perficio, Vestram Magnificentiam, & Omniumque ordinum ac Dignitatum viros Praecellentissimos, eam, quam par est, reverentiam & humanitatem rogo, ut mihi non oratorio, sed historico stylo ac filo, de praesenti materia, verba facienti, benevolas ac benignas aures accommodetis: operam daturus sum sedulo, ut brevitate orationis audienti fastidium leniatur.

Quod in initio universae Medicinae, quae non simul uno eodemque temporis momento inventa, aucta, perfecta, & omnibus suis partibus absoluta fuit, contigit; id & in hac Academia

miã

miâ Facultatis Medicæ studio usu venit. Licet enim in illorum numero, quorum XLVI fuerunt, qui ex dissipatâ Pragensi Academiâ, ante annos ducentos, & quod excurrit, se huc contulerunt Medici, magni nominis & auctoritatis septem fuerint, qui mox quinquennio post, anno supra millesimum quadringentesimum decimo quinto, die 16. Mensis Julii, Decano M. EBERHARDO HOHENKIRCH, Collegium Medicum constituerunt, illudq; æquissimis & necessariis statutis & legibus, maximè ad ipsorum tempora directis, munire voluerunt; Unum tamen & quidem maximum ac præcipuum *bonis illis viris præsidium adhuc defuit, stipendium nempe seu salarium*, pro quo unus aut alter in Collegio jam constituto, statutisq; firmiter munito, docere, & discendi cupidis aliquid utile ac fructuosum communicare potuissent. *Huic igitur summo incommodo, singulari Dei providentiâ, sapienter obviam iuit, Illustrissimus Academia nostræ* KT. 1576 *& Fundator FRIDERICHUS, cognomento BELLICOSUS, primus ex inclytâ domo Marchionum Misnensium, Imperii Romani Septemvir, & Elector Saxonie, una cum Fratris suo Generosissimo, VVILHELMO*
SAXONÆ

*1. Decanus
 Al. Eberhardus
 Hohenkirch.*

Quomodo
singula Pro-
fessiones
Medicae
fundatae
fuerint.
1. Thera-
peutica.
2. Patholo-
gica.

Saxoniae Duce, qui annis viginti ferè novem, Anno nempe supra millesimum quadringentesimum trigesimo octavo, post *Academiam fundatam*, & autoritate Pontificis summi *Alexandri V confirmatam*, duas in Facultate Medicâ *Professiones*, quarum unam hodiè *THERAPEUTICAM*, alteram *PATHOLOGICAM* *vocamus*, pro duobus *Medicinæ Doctoribus fundarunt*, & singulis, annui stipendii loco, *COLLEGIATURAM* in *Majori Principum Collegio assignarunt*. Duabus illis primis fundatis *Professionibus Medicis*, *tertia* demum accessit *PHYSIOLOGICA* dicta, fundata nempe à *GEORGIO Duce Saxoniae Serenissimo*, Anno supra sesquimillesimum trigesimo primo. Quam autem bonus ille Princeps, ut qui maximè *Lipsiensibus* favebat (ac in primis suæ juventutis annis, nullo alio in loco, studiorum gratiâ, magis, quàm hic *Lipsiæ* vivere, imò cum *BARBARA Filia*, *CASIMIRI*, Regis *Poloniae Serenissimi* nuptias celebrare voluit, Anno supra millesimum quadringentesimum nonagesimo sexto) occasionem habuerit, paucis, quæso, percipite! *Vixit* annis abhinc centum hîc apud nos *Medicus quidam præcipuus*, cujus monumentum adhuc in templo

Aca-

Academico, ubi humatus est, erectum cernimus, nomine CONRADUS TOCKLERUS, à patriâ alius & crebrius NORICUS dictus; qui Lipsiæ in æde D. Nicolai, Anno supra fesquimillesimum undecimo, die IV Decembris, cum HEINRICO STROMERO, & CASPARO KÖGLERO, Medicis celeberrimis, à SIMONE PISTORIO, Medicæ Facultatis Decano, in Doctorem artis Medicæ promotus est. Hic cum ex hac mortali vitâ in multò meliorem, æternam atq; beatam discessisset, & hæreditatem nullo modo contemnendam, nullos verò hæredes reliquisset, nec ullus cognatus, aut agnatus, in totâ Republicâ Noribergensi repertus fuisset, qui reliquam hæreditatem adire voluisset; exorta mox est inter Senatûm Academicum & Oppidanum disceptatio, cui illa ipsa hæreditas relicta jure deberetur; Uterq; siquidem jus sibi habere videbatur; Hic quidem, quòd non in æde aliquâ Scholasticâ, seu Collegio, sed in ipso oppido mortem obiisset; Ille verò, quòd defunctus membrum Facultatis Medicæ, in ò Academia præcipuum fuisset, utpote cujus imperii fasces non sine præclarâ laude, Anno recuperatæ per Christum salutis, supra fesquimillesimum duodecimo

tenuit, & quicquid in bonis reliquisset, ex Academia emolumentis, praxi imprimis Medicâ, sibi comparasset. Præter eximiam enim artis Medicæ cognitionem, in praxi ipsum admodum celebrem & felicem, & eo nomine Nobilibus, omniumq; ordinum ac dignitatum hominibus, imò Principibus quoq; ejus operam haud ingratham fuisse accepimus. *Hac, de qua diximus, controversia, ad GEORGIUM Ducem Saxonie Illustrissimum delata tandem est, & pro principali autoritate sic decisa; Senatuum Oppidanum universam defuncti Doctoris relictam hereditatem justo & æquo pretio distribuere, & pecuniam inde collectam in Camera Electoralem deponere debere; pensiones verò ad pias causas Eiusdem Celsitudinem transferre velle.* Hac igitur occasione non saltem stipendia, duarum Professionum à Fratribus generosissimis FRIDERICO & WILHELMO ordinata, auxit; verùm tertiam & planè novam, *PHYSIOLOGICAM* dictam constituit & fundavit; unde in hunc usq; diem illa ipsa nova Professio *TOCKLERIANA & NORICA*, ut & pecunia ipsa, quæ adhuc quotannis ex *Electoralis Camera* Facultati nostra traditur, pecunia *TOCKLERIANA* vel *NORICA* nominatur.

3. Physiologica.

natur. Nec MAURITII Electoris Saxoniae, sanctissimæ & felicissimæ recordationis, eximia & singularis munificentia sicco prætereunda est pede. Hic enim cum post obitum Parentis sui HEINRICI, Sacri Romani Imperii Gubernatoris, & de Republicâ rectè instituendâ, & de Ecclesiis ac Scholis harum regionum reformandis, plusquam paternam curam susciperet, cum primis verò de Academiâ, tanquam pretioso suæ ditionis thesauro, sollicitè admodum cogitaret in constituendis novis Professionibus Philosophicis præcipuis, Utriusque linguæ, Philosophiæ Aristotelicæ, & Mathematicarum disciplinarum; Medicæ Facultatis non immemor fuit, sed stipendia trium Professionum, quæ à FRIDERICO & VVILHELMO, necnon GEORGIO, Saxoniae Ducibus, fundatæ erant, non saltem adauxit, sed adhuc duas alias planeque novas constituit, CHEIRURGICAM & ANATOMICAM; optimè siquidem laudatissimus Princeps, pro suâ innatâ heroicâ sapientiâ, quantum ponderis & momenti habeat exquisita partium corporis humani & operationum cheirurgicarum cognitio, ad rectè & legitimè exercendam artem Medicam, intelligebat,

4. Cheirurgica.
5. Anatomica.



bat, Medico in nostrâ Academiâ studio non exigua quoq; & contemnenda accessio facta est, ex opere Botanico, Cùm enim Sapientissimus Princeps Augustus Elector, *cujus anima sit in sempiternâ benedictione*, sciret, simplicium cognitionem, Medico Rationali, qui modò, suo cum honore, ægrotantis verò salute, artem nobilissimam exercere velit, summo- perè necessariam esse, eo tempore, quo generalem suæ ditionis, Ecclesiarum, Academia- rum & Scholarum reformationem utilissimam & perquàm necessariam sumptibus maximis instituit, *Hortum, Medicæ Facultati in Paulino proprium, attribuit*; & ut Botanicus suorum laborum & sumptuum sibi faciendorum quotan- nis aliquam recreationem habere posset, Aca- demix in mandatis dedit, ut prima, quâ fieri posset, occasione ex Collegiaturâ reditus in pos- terum Hortulano attribuerent; quod etiam ab eo tempore, debito subjectionis studio, huc usq; observatum est. Hæc modò commemo- rata beneficia ingentia, animo gratissimo qui non agnoscit, nec debito præconio, ut omni- nò par est ac decet, extollit, is se præbet om- nium ingratisimum non modò erga lauda-
tissi-

*Hortus
Medicus.*

tissimos Fundatores & Domum Saxoniam Illustrissimam, sub cujus fidelissimâ tutelâ, protectione ac umbrâ, in bonâ quiete ac pace vixerunt Majores nostri, & adhuc per DEI OPT. MAX. misericordiam ac bonitatem ineffabilem, in bellicis hisce tumultibus, tranquillè & pacificè unusquisq; nostrum, tam docentium, quam discipulorum, in suâ divinitus sibi commissâ vocatione vivit; Verum etiam erga DEUM ipsum, omnis boni datorem; cui profectò toto pectore gratiæ sunt agenda debitæ, quòd Heroas, in maximis & necessariis bellicis expeditionibus occupatissimos, excitare voluerit, ut purioris doctrinæ Evangelii, linguarum, disciplinarum, & bonarum artium studia, Ecclesiæ & Reipublicæ maximoperè necessaria, præcipuam curam habuerint. Sed eâ de re satis in præsentia, ne prolixitate aliquâ, vestrâ in audiendo benevolentia abuti velle videar,

Alteram igitur orationis nostræ partem, sine morâ aggrediar, & simili brevitate ostendam, quoniam potissimum ultra ducentos annos Professionibus fundatis præfuerint, & vivâ voce in hac Scholâ Medicâ, summo suo honore & discipulorum utilitate maximâ docuerint.

C 3

Quod

Quod vulgò de legibus sine executione dicitur, eas perquam similes esse campanis sine pistillo; id ipsum non inconcinnè, meo quidem iudicio, ad Professiones transferri potest. Professionibus enim licèt Academiæ non destitutæ sint necessariis & utilissimis, si tamen illæ sprete, planeq; neglectæ jaceant, *cui quæso bono?* Salaria siquidem non otiosis & ignavis hominibus destinata sunt à Fundatoribus laudatissimis, sed illis, qui legendo officium suum strenuè præstant. Non minus igitur solliciti fuerunt & fundatores ipsi, & laudatissimi successores, de idoneis Professoribus Medicis, ac de Professionibus ipsis, THERAPEUTICAE inprimis, quæ cum requirat Medicum non solum in Theoriâ eximium, sed & in ipsâ praxi optimè versatum & celebrem, DECANIS ab ipsâ fundatione relicta est, ac primùm commissa HELMOLDO GLADENSTET *de Soldvedel*, qui ex Pragensi Academiâ cum aliis viris doctis huc se recepit. Virum hunc magni nominis & auctoritatis fuisse, non obscure colligere licet, quod *præter Decani officium, bis fasces gesserit Academicos*, primùm quidem Anno supra millesimum quadringentesimum decimo; deinde supra

2. Decanus
Helmoldus
Gladenstet
de Sold-
vedel.

pra millesimum quadringentesimum decimo sexto. Sub hoc Decano, prima duum Doctorum in arte Medica facta est promotio, peracta q; die 9. Mensis Octobris, Anno supra millesimum quadringentesimum trigesimo primo, in æde D. Nicolai; unde jure quasi præscripto *Medici adhuc examina pro Licentiaturâ in sacrario prædicti templi peragere solent.* Huic Helmoldo, ut in officio Decanatûs, ita & in *Professione ipsâ*, quæ, ut modo meminimus, *ordinaria*, & *Decanis duntaxat propria*, successit JACOBUS MESENBERGK *Stendaliensis Marchicus*, ab antecessore suo Medicinæ Doctor hic creatus, Anno supra millesimum quadringentesimum trigesimo primo. Hic Mesenbergius & tres Medicinæ Doctorum promotiones celebravit, & anno supra millesimum quadringentesimum trigesimo, Academæ Rector Magnificus, & ab Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo, usq; ad annum millesimum quadringentesimum sexagesimum secundum *Reipublicæ Oppidanae quinquies Consulatûs officium gessit amplissimum.* Postquam & hic fatis concessit, vigore statuti, quod anno supra millesimum quadringentesimum quadragesi-

3. Decan
Jacobus
Mesen-
bergk.



A. D. 10.
hannes de
Vexda.

gesimo tertio conditum, quodq; ad nostra usq; tempora semper in viridi fuit observantiâ, Seniori Facultatis Medicæ, Domino D. JOHANNI de VVEXDA, Anno supra millesimum quadringentesimum sexagesimo tertio, quasi lampada tradidit. Hic Decanus, suâ in Academiam industriâ, publicum in templo D. Nicolai promeruit monumentum, quod in sacello ad dextram ingressus conspicere est. Ubi & hic diem suum obiisset, ex statuto allegato statim ei surrogatus est, anno supra millesimum quadringentesimum octuagesimo quarto, D. VALENTINUS SCHMIEDEBERG, qui præter cætera in Academiam collata beneficia, filium procreavit HEINRICUM J. U. Doctorem, sed Medicæ Facultati tam faventem, ut in Xenodochio Georgiano perpetuum stipendium Medicum, XLV aureorum Rhenensium annum pro Medico Doctore ex Pistoris familiâ, in bujus autem defectu, pro Medico legitime promotus, & Lipsiæ nato, instituerit; cujus stipendii conferendi potestas esset penes Collegium Medicum, & curatores Xenodochii. Adq; hi gemini, penes quos & denominandi & vocandi potestas sit unica, si forsan inter ipsos de uno vel atero, cui ista medicandi provincia sit

com-

g. D. Va-
lentinus
Schmiede-
berg.

committenda, nasceretur disceptatio, *in decisio-*
ne Dn. Præpositi, sive ut nunc vocatur, *Pastoris*
ad D. Thomæ autoritativâ in solidum *acquie-*
scere debent; sicut id ipsum clara litera testamen-
 ti, cujus copia fideliter apud nos asservata, cui-
 vis exhiberi potest, expressè testatur. Idem hic
 Doctor Schmiedebergius, præter scientiam
 Medicinæ, quâ nominis sibi famam acquisi-
 vit, & Juris Utriusq; cognitionem tantam sibi
 comparavit, ut suis clientibus fideliter consu-
 lere ac inservire potuerit; sed etiam sibi pro-
 posuerit Doctoris in Utroq; jure gradum æ-
 què ut in arte Medica, assumere, & eo quoq;
 consilio ac intentione, sub suo Decanatu, *pri-*
mam lauream hic Lipsiæ reportavit, ab *Amplissi-*
mâ Facultate Juridicâ, sub Ordinario, tum tem-
 poris, D. JOHANNÉ de Breitenbach, viro ut eru-
 ditione, ita nobilitate clarissimo, eminentissi-
 moq;. Hic ubi cum vitâ Decanatum abdi-
 casset, anno supra millesimum quadringente-
 simum nonagesimo, & corpus in *ede D. Nicolai*
humandum reliquisset, (cujus monumentum in-
 tra baptisterium & subsellia consulum in cip-
 D po

6 D. Jo-
hannes de
Hallis.

po quodam exhibetur) D. JOHANNES de HALLIS
juxta statuta & consuetudinem prædictam in
Decanum Sextum electus est, cui officio magnâ
cum utilitate Facultatis Medicæ præfuit, de-
hinc vitâ placidè defunctus. Circiter Annum
millesimum quingentesimum octavum Apol-
linares fasces in se suscepit D. JOHANNES de

7. D. Jo-
hannes de
Lantzberg.

LANTZBERG, *sub cujus Decanatu primam lauream*
Heinricus Stromer Aurbachius, p. t. Academiæ
Rector, deportavit. Quod etiam ante ipsum
M. Magnum Hundt Magdeburgensem, virum
celebrem, sub suo Rectoratu fecisse, monumen-
ta Facultatis nostræ testatum faciunt. Sub
hoc Decanatu VI Doctorum promotio per-
acta est, & *decretum* omnium consensu factum,
ne temporis progressu in arte Medica vel promove-
retur, aut alibi promotus in ipsorum consortium ac
consilium assumeretur, qui non liberalium artium
ac Philosophiæ Magister renunciatus fuisset. Quod
sanè statutum à CHRISTIANO hujus nominis I.
Electore, felicissimæ recordationis, confirmatū
habemus. Decessit autem in ipso Academiæ
Jubilæo primo, *id quod liquet ex epitaphio in*
facello adis D. Nicolai conspicuo. Atq; *hos se-*
ptem hætenus commemoratos viros, in utraq;
digni-

tate constitutos, *primum Academia nostræ seculum vidit.*

Inter secundi verò seculi Professores Facultati nostræ Medicæ præfuit D. SIMON PISTORIUS, *vir nobilissimus* (ex celebri familia hîc Lipsiæ oriundus, *patre Nicolao, Medicinæ Doctore* eximio, & hujus *Reipublicæ Consule* meritissimo) non tam de utraq; Republica, quàm de exteris præclarè meritus; Academiae siquidem nostræ, non tantùm fideliter & summâ discen-
tium utilitate, docendo, disputando, eximiâ cum laude & prædicatione nominis sui præfuit, sed & in Republicâ hac patriâ suâ, re & nomine se Senatorem præbuit; Electori FRIDERICO hujus nominis TERTIO, (qui ob prudentiam singularem, cum virtute & auctoritate conjunctam, SAPIENTIS nomen meruit) autor & à Consiliis fuit, unâ cum Dn. Martino Pollichio *Mellerstadio* (qui post ad summum honoris gradum in tribus Facultatibus superioribus evectus, adeoq; Lux mundi vocatus, ut & primus Academiae Wittebergensis Rector creatus fuit) *de Academia VVittebergensis; ut & Electori Brandenburgico, de Francofordensis ad Oderam extruptione.* Decanus hic octavus

8. D. Simon Pistorius.



duos genuit filios, *unum Christophorum*, itidem Medicum, *alterum verò Simonem*, *Idem celeberrimum*, quorum *epitaphia in templo D. Thomae* extant longè elegantissima, lectuq; dignissima. Ex hac familia prodiere *Modestinus & Hartmannus Pistorii*, Juris Saxonici lumina præclarissima, Electoralium Curiarum, quæ tam Dresdæ sunt, quàm hic Lipsiæ columina olim laudatissima, *quorum scriptis felicissimè utitur omnis Juris Consultorum Schola*. Facile igitur, vel me tacente, hinc colligitur, quantam ex obitu hujus præclarissimi & longè meritissimi viri, laudatissima Facultas nostra jacturam fecerit; sed illa compensata fuit, singulari Dei providentiâ, in eo, quòd successorem sibi si non parem, haud tamen multò inferiorem reliquerit, magnum illum & perquàm celebrem virum **D. HEINRICUM STROMERUM** Aurbachium, qui à patriâ nomen Aurbachii fortitus propter pietatem excellentem, & prudentiam gravem, non in summorum modò virorum amicitiam, sed etiam *Senatorium hujus Urbis ordinem fuit cooptatus*. Hic Decanus IX, non modò Academiae fasces cum laude semel gessit, sed etiam sub suo Decanatu

tres

9. D. Hein-
ricus Stro-
merus.

tres distinctas Doctorum promotiones habuit. Quin & aliquot Imperii Principibus & Electoribus, nimirum JOACHIMO, Electori Brandenburgico, ALBERTO Cardinali & Archiepiscopo Moguntino, quem tribus vicibus ad Imperii comitia comitatus est, tandem & FRIDERICO Electori Saxonie à Consiliis Medicis fuit. Utut autem fuerit D. Stromeri incomparabilis doctrina, laudabilis prudentia, indelebilis & æterna nominis fama: ipsum tamen præservare non potuerunt à mortis violentiâ, sed ex hac migravit vitâ, die 28. Novembris, Anno supra sesquimillesimum quadragesimo secundo, ac successorem dignissimum habuit, D. GEORGIUM SCHILTE-^{10. Doct.} LIUM Ambergensem, ^{Georgius} ^{Schittellus} cujus Decani decimi, ut & cæterorum laudes, cum dignè prædicare non possim, avidum ac Medicis faventem lectorem *ad cœmeterium D. Johannis remitto, ubi viri hujus excellentissimi in lapide ad murum erecto reperire est monumentum.* Completâ hac Decanorum Medicorum decade, absoluto autem ferè Academiæ sesquiseculo, Machaoniâ præfecturâ functus est, D. SEBASTIANUS ^{11. D. Seb.} ^{stianus} ROTH Aurbachius, ^{Roth.} (Excellentissimi & Experien-

D 5

perien-

perientissimi viri Dn. D. Sebastiani Rothens,
 quâ pietate ac prudentiâ, quâ Medicæ artis co-
 gnitione & praxi ejusdem apud nos celebratif-
 simi, Avus laudatissimus, Compatriis ac amici
 mei plurimum dilecti) qui ut multa paucis com-
 prehendam, inter summos ac præcipuos Philo-
 sophos suæ ætatis haut parem habuit, inter Me-
 dicos doctissimos & usu rerum experientissi-
 mos vix superiorem, & ob singularem expe-
 rientiam non tantum omnibus, in hac Urbe, &
 locis adjacentibus, bonis, sed & quatuor Prin-
 cipibus, GEORGIO, HEINRICO, MAURITIO &
 AUGUSTO Saxoniae Ducibus ac Electoribus
 laudatissimæ recordationis perquam charus
 ac gratus. Hic Decanus XI per decennium
 Collegio Medico, quàm magnâ cum utilitate
 ac laude summâ præfuerit, *ipsius publica & re-
 ligiosa inscriptio in D. Nicolai sacrario testatur.*
 Hunc subsequutus est D. MARTINUS à DREM-
 BACH, Decanus XII Anno supra sesquimillefi-
 mum quinquagesimo quinto, *præter Decana-
 tûs honorem, senatoriâ quoq; ornatus dignitate,*
 vir generis nobilitate, pietate, virtute, doctri-
 nâ & prudentiâ præstans, de Republica ut &
 de ipsa Academia, *in promovendis præsertim Do-
 ctori-*

12. D. Marti-
 ning Drem-
 bach.

Floribus XIII præclarè meritis, Annus ejus obitûs
& ætatis est communis septuagesimus primus,
paucis mensibus ac diebus exceptis, testante
ejus Epitaphio in templo D. Nicolai erecto, in quo
veram ejus imaginem depictam cernis, Trans-
itum nunc facio ad D. VVOLFANGUM MEU-
RERUM, Decanum Facultatis nostræ Medicæ
XIII, Anno supra sesquimillesimum septuagesi-
mo primo, designatum atq; confirmatum spe-
ctatissimum, Republicæ Lipsiensis Senatorem, pie-
tate, autoritate, sinceritate pectoris, vitæ, mo-
rumq; gravitate, eruditæ doctrinæ copiâ, mul-
tuplici rerum usu & experientiâ clarum, de u-
traq; Republica Oppidana & Academicâ præ-
clarè meritum; utpote qui integris XIV annis
munere Decani, ut & Professione illi annexâ
perfunctus est; sed quia commendationis meæ
tenuitas in hac temporis angustîâ, laudem
tanti viri magis imminutura, quàm amplifica-
tura esset, ex Saxo sepulchrali, quò piè defuncti
cineres in æde Paulina teguntur, defuncto, dictæ
laudis compendiolo contentus esse volui. Suc-
cedit nunc D. SIMON SCHEIBIUS, Anno supra
sesquimillesimum octuagesimo quinto, desi-
gnatus ac creatus Facultatis Medicæ Decanus
XIV,

13. Doct.
 VVolfgan-
 gus Meu-
 rerus.

14. D. Si-
 mon Schei-
 bius.



XIV, qui non tam eximiam ob artis Medicæ cognitionem, & ingenii acrimoniam, cum sobrietate & temperantiâ conjunctam, quàm praxin felicissimam sibi nominis comparavit immortalitatem. A funeris Scheibiani deductione, secundum statuta & perpetuæ consuetudinis observationem, anno supra sesquimillesimum nonagesimo septimo, D. BALTHASAR GITLERUS in Decanum XV electus est, qui veritatis & simplicitatis doctrinarum amator, contra verò Sophisticæ ac Sectarum os acerimus, per annos XLV in almâ hac Academiâ incorruptam elegantemq; Philosophiam & Medicinam publicè docendo, de studiis discipulorum præclarè semper meruit, tandemq; XC ætatis periodo exactâ, ex terrestri hac Academiâ, in cœlestem migravit. Quid jam dicam de nobili, præcellentissimo ac multi jugo rerum usu celeberrimo viro, Domino D. CHRISTOPHORO BRUNONE, Facultatis nostræ Decano XVI, & Professore meritissimo; Hic Basileæ Doctoris gradum consecutus, in Urbem hanc concessit, & cum ipsi vitæ suæ tabernaculum in hac Academiâ figere unicè placebat, pro loco in Facultate Medicâ consequen-

15. D. Balthasar Gitlerus.

16 Doct. Christophorus Bruno.

quendo, non solum juxta præscriptum statuto-
rum disputavit publicè sed etiam quinquen-
nium lectionibus extraordinariis, aliisque exer-
citiis usitatis consumpsit. Quo penso absolu-
to, summâ Collegarum voluntate, non solum
receptus est in Consilium Medicum, sed con-
festim quoque professio publica, quæ dum va-
cabat in Collegio Medico, nullo Medicorum
dissentiente, Illustrissimo autem tum temporis
ProElectore clementissimè etiam annuente,
demandata ipsi fuit. Quam doctrinæ publi-
cæ provinciam, in diversis Medicinæ partibus
sic ille jam ad annos XXX prope exornavit,
suâ in docendo dexteritate & diligentia, ut de-
functo antecessore, Anno supra millesimū sex-
centesimo decimo sexto, Decanatûs honore
laudabiliter condecoratus fuerit. In hujus
Antistitis locum surrogatus est, Anno supra
millesimum sexcentesimo decimo nono, tum
temporis Collegii Medici Senior, D. SIGIS-
MUNDUS SCHILLINGIUS, ut eundem, quem ille
honoris & dignitatis gradum, eandemque pro-
fessionem obtineret. In hujus autem mune-
ris officiis obeundis, se quoque gnaviter ac indu-
striè gessit, pro Collegii Medici commodis ac
E digni-

17. D. Si-
gismundus
Schillingy.



dignitate, omnibus necessariis curis ac laboribus susceptis, nihilq; prætermisit, quod ad res medicas provehendas, quibus moderandis præfectus erat, opus esse videbatur. Ac cum in quotidianâ praxi, ut vocant, quam per Dei gratiam uberrimam ac felicissimam per plurimos jam annos habuit, sedulo observaret remedia, quæ suis ægris subinde salutem attulissent, quæq; alii pro secretis & arcanis habent, ea non sibi soli reservanda, sed artis Medicæ studiosis, candidè ac sincerè, *quæ Doctoris Medici non infima laus est*, communicanda esse duxit; quo & ipsi tandem ad praxin accedentes, iisdem remediis in salutem & commodum ægrorum suorum, cum suâ laude artisq; gloria uti possent. *Decimum octavum ordinis nostri Antistitem ac Decanum*, nec non Professore Therapeuticum Amplissimum, Dn. D. JOHANNEM GÜNTHERUM, anno supra millesimum sexcentessimum vigesimo secundo electum, de Facultate nostrâ optimè meritum, Compatriem atq; Collegam meum plurimum honorandum, honoratissimum hoc auditorium conspicatur; Cujus vitam in nostri Collegii Medici ornamentum & emolumentum, in
mul.

18. D. Io
hannes
Güntherus.

rem Therapeuticum Amplissimum, Dn. D. JOHANNEM GÜNTHERUM, anno supra millesimum sexcentessimum vigesimo secundo electum, de Facultate nostrâ optimè meritum, Compatriem atq; Collegam meum plurimum honorandum, honoratissimum hoc auditorium conspicatur; Cujus vitam in nostri Collegii Medici ornamentum & emolumentum, in
mul.

multas annorum decadas, ut DEUS retardet, nemo nostrum est, qui non animum exoptet. Deberem nunc ordinis ratione sic exigente, vigore promissi mei, initio facti, subire commemorationem Professorum Pathologicæ, Physiologicæ, & Chæirurgicæ; sed memor angustiae temporis, ut & vestrae inaudiendo benevolentiae, ne eadem abuti videar, nolens volens dicendi vela contrahere cogor. Relinquamus igitur interea omnes iis in locis, ubi condita sunt eorum corpora; ossa perpetuo frondescant, nomenque ipsorum permaneat in secula infinita.

Nunc converto me ad præstantissimum ac literatissimum Dn. Candidatum, de cuius vita, ut & studiorum curriculo, ante Licentiae gradum, ipsi jam conferendum, ut breviter aliquid addam, vigore statutorum, ordo ac consuetudo requirit. Est autem Dn. Candidatus in hanc lucem editus, anno supra millesimum sexcentessimum sexto, ipso festo Pentecostes, *Susati* (Urbe post monasterium Westphaliae metropoli opulentissima, amplissima, decem populosis distincta paræciis) à parentibus honestissimis; *Parens ipsius*, natione Geldra,

Commenda
datio Dn.
Candidati.



dra, Dn. *Johannes Michaëlis*, Reipublicæ Sufatensis Quæstor, vir meritissimus, cujus familiam Reipublicæ Sufatensis Consules, Proconsules & Senatores Agnati reddiderunt amplissimam; *Mater Gertrudis*, optimæ notæ fœmina, ex antiqua familia *Mußtens* oriunda: Ab hisce Parentibus, pietatis ac literarum studiis infans adhuc initiatus ac devotus est; & fundamenta religionis, virtutis & eruditionis, fideli præceptorum privatorum curâ posuit. Anno *supra millesimum sexcentessimum vigesimo secundo*, captâ per dititionem ejus Patriâ, à Duce Brunsvicensi *CHRISTIANO*, patrias reliquit Musas, & Rosarum Academiam, putâ *Rostochium*, tanquam ad uberiores Literaturæ mercaturam *se contulit*, ubi per triadem annorum, & quod excurrit, Reverendi & Clarissimi Dn. *D. Johannis Affelmanni SS. Theologiae Professoris*, p. m. celeberrimi, Agnati sui plurimum amandi, & tecto & colloquiis, quibus cottidianas epulas suas condire consuevit, usus est perpetuis. Et ne ex quotidianâ hæreticorum conversatione, quorum magna in patriâ ejus fuit copia, haud ita facilè ad falsam doctrinam abriperetur, si forsitan ibi commorandum ipsi esset, ex paternâ tutorum suorum voluntate, privatim in dictâ A-

cade-

academiâ semper habuit præceptorem, Clarissi-
 mum Virum Dn. *Johannem Botsaccum, Virum in*
cognitione Theologicâ exercitatum, qui ipsum non
 solùm in adyta Philosophiæ manu quasi duxit,
 sed etiam in controversiis, quæ hoc præsertim
 tempore cum Pontificiis agitantur, Theologi-
 cis, informavit; ne dicam, quòd in Collegiis
Clarissimi Dn. D. Affelmanni antea prædicti, quæ
 ibi aperuerat, industrium ac attentum egerit au-
 ditorem. Anno *supra millesimum sexcentimum*
vigesimo quinto VVittebergam se contulit, ibiq; hu-
 manioribus disciplinis animum probè instru-
 xit ac perpolivit, tantâ industriâ, ut dignus fue-
 rit judicatus à Facultate Philosophicâ, cui laurea
 Magistralis conferretur. Et cum ad laudatissi-
 mam medendi artem animum appulisset, nihil
 habuit prius, quàm ut rerum naturam accuratè
 indagaret, & Physicam scientiam sibi redderet
 familiarem, sine *quâ si quis ad solidam Medicinæ*
cognitionem adspiret, haud plus aget, quàm si secun-
dum Comicum, det operam, ut cum ratione insaniat.
 Hinc sedulam & indefessam audiendis Profes-
 sorib; publicis, in primis verò Amplissimo Dn.
D. Danieli Sennerto, Medico, hac ætate facile
principi, dedit operam; ex cujus frequentiori
 alloquio & conversatione non parùm in
 hoc

hoc studii genere se profecisse, non sine gratâ
 animi memoriâ, fatetur. Exacto ibi sesqui-
 anni spatio, in nostram hanc concessit Acade-
 miam, & pari industriâ, ac Wittebergæ factum,
 nobilissimum artis Medicæ studium conti-
 nuavit. Quia autem nullam occasionem di-
 scendi artem Medicam sibi intermittendam es-
 se censuit, sed potius ad rectè absolvendum
 illud ipsum studium Medicum difficilimum,
 plurimùm sibi profuturam existimavit peregri-
 nationem; ideoq; externas etiam Regiones
 adire voluit, & præterito tempore æstivo in
 Academiâ Leidensi *Dn. Adolphum Vorstium, Jo-*
bannem Heurnium, Adrianum Falckenburgium, a-
 lioq; Professores in arte Medicâ Clarissimos
 audivit; simul ac omnes Provincias, munitio-
 nes, aliaq; ἀξιοθέατα in Hollandiâ perlustravit.
 In *Gallicæ ac Italicæ linguæ cognitione quantum*
profecerit, satis docebit specimen, ubi propediem
 opera omnia Quercetani, cum Gallicis exem-
 plaribus collata, lucem adspicient. Aliàs per
 tempus illud, quod hic transegit, mensâ, tectò,
 conversatione quotidianâ, ut & Collegiis pri-
 vatis perpetuò usus est Clarissimi atq; Excel-
 lentissimi viri, *Dn. D. Johannis Ruperti Sultz-*
berge-

bergeri, ita ut Dn. Hospiti ac Præceptori suo fidelissimo multum se debere, cum perpetuâ grati animi promissione, confiteatur. Quia autem non alibi, sed in hac nostrâ Academiâ summum in arte Medicâ gradum prensare sibi proposuit, superiori anno in numerum artis Medicæ Baccalaureorum, peractis peragendis, receptus est; Et quia hæctenus in opponendo, legendo, disputando & aliis, prout Facultatis nostræ postulant decreta, suam nobis sat probavit industriam; ex unanimi Facultatis nostræ suffragio, post rigorosum examen, hodiernâ luce, Licentiæ honores ipsi conferentur. Id quod per me jam fiet, si prius præeunte Ministri Publici voce juramentum consuetum præstiterit.

JURAMENTUM

Dn. Licentiatus sceptro impositis duobus digitis jurare debet.

- I. *Quòd* velit procurare bonum Facultatis Medicæ, ad quemcunq; statum devenerit.
- II. *Quòd* non velit resumere Licentiam in alia Universitate.
- III. *Quòd* velit in hac Universitate & non alibi recipere insignia Doctoralia,

ralia, nec super his ab aliquo superiore petere
 dispensationem, aut à juramento absolutio-
 nem. Dn. Candidatus dicat: JURO, Præstito
 sic juramento, nihil aliud nunc restat, nisi ut
 Dn. Candidatus voti sui compos reddatur.
 Quòd igitur DEUS TER. OPT. MAX. felix fau-
 stumq; esse jubeat, Reique-publicæ Christia-
 næ sit fructuosum, Facultatis Medicæ studiis
 salutare, & Dn. Candidato pariter utile ac ho-
 norificum, Ego JOHANNES HEINTZIUS *Joachi-
 mico-Vallensis, Philosophiæ & Medicinæ Doctor,
 Ejusdem Facultatis Adfessor, & Professor, nec non
 Majoris Principum Collegii Collegiatus,* Auctori-
 tate eâ, quam Serenissimus ac Potentissimus
 Princeps ac Dominus, Dominus JOHANNES
 GEORGIUS, Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac
 Montium, Sacri Romani Imperii Archimar-
 schallus & Elector, Landgravius Thuringiæ,
 Marchio Misniæ, Burggravius Magdeburgen-
 sis, Comes de Marca & Ravenspurgk, Dyna-
 sta in Ravenstein, & Reverendissimi Præsu-
 latûs Martisburgensis Postulatus Administra-
 tor, hujus Academiæ Cancellarius, ac post
 DEUM conservator Unicus, Dominus noster
 Clementissimus, intercedente honestissimo
 ordi-

ordine Collegii Medicorum veteri more benignè mihi concessit, Te JOHANNEM MICHAEL-
 LEM *Susatensem Westphalum, Bonarum artium, ac
 Philosophiæ sincerioris Magistrum, ac Medicinæ
 Baccalaureum*, ex sententiâ ac decreto totius
 Facultatis Medicæ, hoc secundo gradû, qui
 LICENTIAE nomen habet, condono & insignio,
 dans & concedens tibi potestatem petendi
 summos honores Doctorales in hac Faculta-
 te, quando libuerit, secundùm Leges & Statu-
 ta Facultatis nostræ æquissima. Quòd Eccle-
 siæ Christi, Academiae hujus & Reipublicæ, &
 Tibi Tuisq; omnibus feliciter ac prosperè eve-
 niat, faxit verus ille Archiater & fons omnis
 salutaris medicationis, Christus Θεάνθρωπος ☉, qui
 unà cum Patre suo sibi cæterno, fonte atq; o-
 rigine omnium bonorum, tam spiritualium,
 quàm corporalium, & Spiritu Sancto, in uni-
 tate vivit & regnat, in infinitas myriadas se-
 culorum. *Dixi:*

Expeditis per DEI gratiam feliciter omni-
 bus & singulis, quæ ad actûs hujus solennita-
 tem pertinent, *Magnifice Dn. Rector*, nec non
Dnn. Auditores omnium ordinum ac dignitatum
Eminentissimi, vera à nobis pietas requirit, ut iis,

*Actus huius
 Panegyrici con-
 clusio, con-
 stans gra-
 tiarum ac-
 tione.*

F

quo-

rum in nos extant beneficia, gratias dignas agamus & referamus. Neq; enim quicquam hominem magis decet, quàm intelligere, ei se plurimum debere, à quo maximis beneficiis se affectum esse novit. Tibi ergò, *ô misericors DEUS*, totius naturæ Princeps, in cujus potestate omnium nostrùm salus, spes, incolumitas, fortunæ sunt sitæ, Pater Domini nostri JESU CHRISTI, unà cum Spiritu Sancto, devotas, ut æquum est, gratias agimus & habemus, cum pro omnibus tuis in nos meritis, quibus nos nostraq; studia hæctenus protexisti; tum imprimis pro immensâ tuâ bonitate, quòd non modò in hunc Electoratum Saxonicum, sed & laudatissimam hanc Academiam multis jam modis declarasti. Horrendum enim in modum adhuc frendet ac fremit *Satanas*, tumultuatur ob acceptam plagam *Antichristus*, diramoliuntur & sanguinem nostrum sitiunt *Pontificii*, imprimis *Suitæ, vana apocalyptica & infernales locustæ*, quæ ex abyssu provolantes accendunt & inflammant animos Regum ac Principum in Lutheranos, & nullum non lapidem movent, *ut* Academiarum Evangelicarum status pulcherrimus turbetur, imò convellatur; *ut*

data

data religioni pax annihiletur; *ut* nos omnes radicitus exterminemur, & deleamur funditus; *ut* Ecclesiæ præclarissimè constitutæ, sub jugum intolerabile Romani Antichristi retrahantur; *ut* vulnera Babylonicæ meretrici, Regum Seductrici, & populorum, per verbum Evangelii inflicta, sanentur; *ut* papatus totus in integrum restituatur; *ut* Augustana Confessio annihiletur; *ut* (si mundus tam diu consisteret) ipsi suum illum quæstorium Jubilæum, majore numero & uberiore quæstu celebrare, deq; nobis devictis triumphum agere, pro suo libitu valeant. *At DEI misericordia est, quòd non consumti sumus, neq; nobiscum agat secundum peccata nostra, neq; secundum iniquitates nostras retribuatur nobis;* Insuper supplices Te rogamus, *effunde super nos spiritus Sancti dona, hanc clementiam tuam divinam gratissimâ ac devotâ mente agnoscamus, celebremus; Largire quæsumus, tuba jubili Evangelici in pulpitis & suggestis nostris perpetim clangat ac resonet; conserva Ecclesiam tuam, quàm Christus sanguine suo redemit, lavit & sanctificavit; Suitarum crudeles conatus cobibe, locustas & ranas apocalypticas extermina, dissipa gen-*

tes, quæ bella volunt; *Exurge* Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant à facie tuâ. Civitatem hanc, in quâ halcyonia nobis constituisti, *pace bea; fac*, ut pax & justitia in angiportibus mutua sibi oscula figant; *Conserva* *Academiam* hanc, *templum pietatis, aram justitiae, asylum sanitatis, domicilium sapientiae*, theatrum omnium virtutum; docentium ac discen-
 tium labores *clementer fortuna*; deniq; verâ scientiâ & cognitione voluntatis tuæ *nos im-
 bue*, quâ in hac terrestri Academiâ edocti, ex eâdem, Archangeli Cœlestis exultante tubâ evocati & educti, unâ cum toto cœlesti choro, Te æternum & sempiternum DEUM, cum Filio, & Spiritu Sancto in triumphante Academiâ, non unum vel bina secula, sed in seculorum secula, jubilando, tripudiando, laudemus, celebremus. *Proximo dein loco* immortales debentur gratiæ, *Serenissimo ac Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Johanni Georgio, Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium Duci, Sacri Romani Imperii Archimarschallo & Electori, Landgravio Thuringiae, Marchioni Misniae, Burgrafio Magdeburgensi, Comiti de Marca & Ravenspurg, Dynastæ in Ravenstein, &c. Domino*

mino nostro Clementissimo, Cujus Celsitudo evigilat in omnibus, & quasi è specula quadam sublimi procurat, ut non solum Patrio de more sincera religio, in primis Augustana Confessio, ceu acceptum à Majoribus depositum, factum tectum ad Posteritatem transmittatur; sed etiam paternè prospicit, ut alma hæc Universitas clementer foveatur, in quâ, tanquam in celebratissimo Emporio, adjuta *Religio*, contra impietatem; *Justitia*, contra iniquitatem; *Sanitas*, contra morbos; *Humanitas*, contra asperitatem, fortissimè propugnetur. Quod tanti Principis ac Electoris beneficium, quo proximè ad DEI Majestatem accedit, cum summâ erga literarum amatores & æstimatores benignitate conjunctum, meritò omnium oratione, vocibus, & literis prædicandum est. O Summe DEUS adde dies super dies Electori nostro, ejusq; Conjugi Serenissimæ, Unâ cum Universâ Domo Saxonicâ, clementissimè adjice, annos eorum in generationem & generationem multiplica. *Conserua* nobis DEUS Illustrissimum Electorem, ad Domûs Saxonicæ splendorem, subditorum incrementum, hostium terrorem, improborum vindictam, perfugium deniq; & solatium omnium

bonorum. *Celsitudini ejus subjungimus* Inclutæ
 Universitatis nostræ *Rectorem Magnificum*,
 quod & is hodiernâ luce gravioribus nego-
 tiis posthabitis, quibus honor hic Academicus
 aliàs perpetuò districtus tenetur, Magnificâ
 suâ præsentia actûs hujus solennitatem ampli-
 ficare non est gravatus. Pro tantâ suâ in nos
 benevolentia grati animi memoriam semper
 pollicemur. Converto nunc gratam cogita-
 tionum mearum aciem ad Academiæ hujus
 Proceres, ex omnibus Facultatibus jam con-
 gregatos, Viros admodum Reverendos, Sacra-
 rum Literarum Doctores, & Interpretes; Cla-
 rissimos Juris Antistites, Experientissimos
 Medicinæ Doctores, Doctissimos Philoso-
 phiæ Professores; Earundemq; Dignitatibus
 & Excellentis pro suo honorifico accessu, quo
 non solum actûs hujus solennitatem reddide-
 runt celebriorem, sed etiam affectum & amo-
 rem erga Facultatem Medicam Amplissimam,
 & Dn. Licentiatum singularem testatæ sunt,
 gratias agimus maximas. Et quanquam tan-
 ta gratia vestris Ampl. referri à nobis non po-
 test, quanta debetur, habebimus tamen tan-
 tam, quantam maximam animi nostri capere pos-
 sunt,

sunt, nec patiemur, ut ullum tempus illucescat, quo tantorum in nos meritorum memoria ac fama moriatur. Gratis oculis, gratâ voce, gratis manibus adspicimus, salutamus, excipimus, Amplissimum & Prudentissimum hujus Urbis Senatum, *venerandam Consulum Bigam*, cæterosq; qui ex ordine Senatorio adsunt, Curæ quidem concatenatæ animos vestros perpetuò fatigant, pro Ecclesiæ ac Reipublicæ salute & incremento; at nihilominus istis posthabitis, actui huic solenni interesse voluistis. Evidens hoc argumentum est, vestri animi optimè de Academicis honoribus sentientis, & pacem tranquillitatemq; cum Universitate hac colentis: Pollicemur vobis similiter nostra studia & officia, nullo non tempore & loco promptissima. Venio nunc ad reliquos Dominos hospites, suavissimos & acceptissimos, quorum nomen sanctissimum Cicero in Verriinis vocat; Quibus non postremas nos debere gratias libenter confitemur. Vobis ergò ad Unum omnibus, pro vestrâ præsentia magnas agimus gratias, nosq; hujus beneficii semper memores fore spondebimus. Hospitibus tandem subjicimus reliquos Spectatores

tores Nobilissimos, & omnium virtutum ac eruditionis laude florentissimos Adolescentes, qui honorificentissimâ suâ præsentia favorem ac amorem nobis declararunt; quibus hoc nomine singulares agimus habemusq; gratias; Deumq; in Christo supplices veneramur, ut nos omnes & singulos clementi suâ protectione tueri, omnibus corporis & animi donis & bonis undiquaq; prosperare, & tandem ex hac terrestri in Cœlestem Academiam, in quâ error à ratione, à voluntate dolor, à memoria timor omnis recedet, transferre dignetur. *Audiat hoc Pater luminum, audiat splendor gloriæ ejus, audiat Spiritus oris ipsius, audiat hæc devotæ mentis suspiria Sacrosancta Trinitas,*

DEUS unus benedictus in infinitas

myriadas seculo-

rum.

D I X I.



yc 6950

#

ULB Halle 3
004 787 676



N.C.

VD 17





ORATIO
SINGULORUM
PROFESSIONUM
DICARUM in

initii ac incrementis; u
RUM, qui ultra duc
floruerunt

Jubilee Augustana

Cum Præstantissimo
Michaëlis, Susatensi VVestph
reo, *Licentie*, ut vocant, assu
Privilegia Doctoralia, gra
ferretur, in incl

Die XXX.

JOHANNHE HEINT

p. t. Pro

L I P

Excudebat GR

Impensis Chris

Anno M

